

TERRITORIVM
BERGOMENSE,
vernaculè
IL BERGAMASCO.



Fines. Ergomense territòrium, ab urbe capitali ita dictum, situm est ab oriente & occidente inter duos celebres Láculos Comensem & Sebinum sive Iseum; ab meridie sunt Cremae Cremonæque territoria; à septentrione vero valle Tellina clauditur.

Soli qualitas. Magno insignitur agro, & satis fertili, præterquam ad septentrionem, qua parte asper, montosus, rigidus, & in totum sterilis est. Valles sunt passim multæ, quarum aliquæ vinum oleumque suavissimum ferunt, nonnullæ propemodum inanes, ferro tamen abundant; cæteræ, quod vitibus & arationibus inidoneæ sint, vellera suppeditant, ex quibus confecta textilia per totam exportantur Italiam.

Populi In- doles. Bergomates per totum terrarum orbem dispersi adeo sua exacuant ingenia, et si loqulam rudem habent, ut quocunque vadant, dicitias sibi comparent. Excellunt præcipue in re poëtica. Doctum est & elegans carmen de Bergomatuum indole moribusque viri nobilissimi Iulii Cæsaris Scaligeri:

Ingenium, corpus, mores, obtutus, amictus,
Tecta, cibus, gressus, guttura, sermo, sonus,
Omnia crassa modis insignibus, omnia dura,
Sic valeant filices ut superare suos.
Hec domi, sed vicinum si affergat acetum,
Artibus atque dolis vincitur ipsa suis.

Populi ve- teres. Incoluere olim tractum hunc Orobii, ut memorat Plin. è Catonis monumentis, verba ejus ita restituit Cluver. Orobiorum (inquit) stirpis esse Comum atque Bergomum & Licini forum, & aliquot circa populos, auctor est Cato; sed originem gentis ignorare se fatetur. quam docet Cornelius Alexander ortam è Græcia; interpretatione nominis vitam in montibus degentium. In hoc situ interiit oppidum Orobiorum Ber- ra: unde Bergomates Cato dixit ortos; etiam nomine prodente, esse altius quam fortunatius fitos. Sed nomen hæc gens in patria lingua quod habuerit, quærendum est: Orobiorum quippe vocabulum à Græcis quæsitus usurpatumque esse, non est dubium; quandoque montem, & vitam significat. Bergomum autem (multis Bergamum, unde vulgare hodie, Bergamo; &c, quum Afæce celebris in primis esset urbs Pergamum, eo Italia.

plerique nomine hoc nostrum Italæ oppidum adfecerunt: sed & plurali numero dixerunt Bergama & Pergama: at in plerisque Iustini exemplaribus, item in Itinerario Hierosolymitano, B, more posterioris ævi usitatissimo, in V converso, legitur Vergamum) merum est Gallicum sive Celticum vocabulum, quod illi suo ore formabant Bergom, & Bergam; nihilque aliud significabat, nisi domicilium apud montem, sive in monte. unde Plinius etiam dicit, Bergomatium nomen prodere eos alte, id est, in monte, fitos esse. Berg enim etiamnun Germanis est mons: home vero Anglis, Germanicæ originis genti, & nonnullis Frisiorum, est domicilium: quod reliqui Germani dicunt, variantibus dialectis, baim, heim, heem; & Dani heim. Igitur Græcorum quidam autores, cum interpretationem hujus nominis haberent, verterunt id sua lingua in o' pōbō. Hinc postmodum Cornelius iste Alexander, Græcæ vanitatis, inter innumera alia, hac saltem in re haud postremum exemplar, interpretatione hujus Græci vocabuli è Græcia gentem ipsam esse ortam docuit. Sed Gallos fuisse, una cum reliquis Gallis in Italianam Tarquinio Prisco Romæ regnante profectos, tum ex etymo tum ex Trogi Pompeji epitomatore Iustino satis manifestum est. is quippe lib. 20, Gallis, inquit, causa in Italianam veniendi, sedeisque novas querendi, intestina discordia, & aſidua domi dissensiones fuere. quarum ratio quum in Italianam venissent; sedibus Tuscos expulerunt; & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergamum, Tridentum, Vicentiam considerunt.

Post Gallos Romani eam in suam potestatem redigere. Reipublicæ Bergomatis sub Trajanico Imperatore mentionem facit lapis Brixianus ad S. Faustum:

P. CLODIO. P. F.
FAB. SVRÆ
Q. FLAMINI. DIVI
TRAIANI PONTIE.
II. VIR. QVINQUE TRIB. LEG
II. ADIVTRIC. PIÆ. FID
CVRAT. RÆP. BERGOM
DAT. AB. IMP. TRAIANO
CVRAT. REIP. COMENS
DAT. AB. IMP. HADRIANO
COLLEGIA
FABROR. ET CENT

& Bergomensis, HONOR MUNICIPAL: P. Diaconus vastatam ab Attila Hunorum Duce

Ee scribit